

EDWARD  
GWYNN

L.  
B. N. I.

299

Z.  
E. L. Z.

For a  
L. S.

Eliz  

---

209

E 8. C. 3. n 7



1533  
~~No 2 - 29~~

Notes. 209

No. 164 do lat. Williams

Edw  

---

209



*Christovão Alas de Moraes.*

ERYCI PVTEANI

DE

OFFICIO

IVDICIS

DISSERTATIO.



Ex officinâ ELZEVIRIANA.

MDCCXIX.

21

mb725525  
64 209

AMPLISSIMO D.  
PETRO PECQVIO,  
EQVITI,  
BRABANTIÆ CANCEL-  
LARIO,  
VIRO  
AB IPSA IVSTITIA  
AD PRINCIPVVM GLORIAM,  
ET REIPVBLICÆ SALVTEM  
FORMATO,  
LITTERARVM VERO IVDICI,  
HANC SVAM  
DE OFFICIO IVDICIS  
DISSERTATIONEM  
ERYCIVS PVTEANVS  
DEDICAT.

3

ERYCI PVTEANI  
DE  
OFFICIO  
IUDICIS  
DISSERTATIO.

**S**UPREMVVS Iustitiæ  
Antistes IVDEX est,  
in quo quantum  
auctoritatis, tan-  
tum salutis leges ipsæ posue-  
runt. Ita enim existimo, mu-  
tam in orbe terrarum esse The-  
min, sed Iudicis ore loqui;  
mortuam esse, sed recta Iudi-  
cis mente atque sententiâ vi-  
vere.

A 2



#### 4 DE OFFICIO IUDICIS

vere. Volunt Poëtæ evolasse hinc olim tam bonum numen, postquam, pulsus virtutibus, Ius omne fasq; à mortaliū genere proculcatum est. Sed quid? Ut in cœlum abiret, satis erat, in terris negligi. Si verum fateri volumus, sæpius factum est, & fit sæpius, quod semel contigisse fabulæ narrant. Etenim quoties Iudex non facit officium suum, quoties à vero deflectens, corruptam affectu profert sententiam, toties relinquere mortales Astræa, & fugere ad immortales videtur; toties justissima illa Virgo violatur. Quia igitur nihil æquè cum Iustitiâ coniunctum est, quàm Iudicium, Iudicijq; ar-  
biter

biter Iudex est, DE OFFICIO IUDICIS dicere constitui; ut quod in Iure summum ac supremum, examinem; ostendamq; , non alienum à philosopho esse, quod à Iurisconsulto æstimatur. De Iudicio acturus, affectum vestrum, non Iudicium imploro: rogo, inquam, ut verborum meorum indulgentes sitis Iudices, qui de Officio Iudicis non minùs libenter audituri estis, quàm aut amatis recta Iudicia, aut pronunciare ipsi soletis. Ego etiam, quia apud Iudices me putabo dicere, quid loco temporique conueniat, studiosè observabo.

Qui Iudicium constituunt, tres sunt: Iudex, Actor, Reus.

Inter

Inter hos, ut Iudex eminent: ita oratio de Iudice, illã de Actore, & Reo facilè vincit. Litigare namque humanum est; sed Actor & Reus litigant. Iudicare, divinum; quemadmodum Iudices sacra Scriptura non vno in loco Deos appellat. Volunt igitur, qui tantum nobis nomen definiunt, IUDICEM ESSE VIRVM BONVM, IVRISDICVNDI, ET AEQVITATIS PERITVM, ET AD ID MVNVS PVBLICA AVCTORITATE VOCATVM. Quasi dicant, officium Iudicis primùm Probitate, deinde Peritia, denique Auctoritate constitui. Et auctoritas quidem à Principe, aut Republicâ est: Peritia à

libris



libris, & rerum usu. Imperfecta utraque, nisi probitas accedat, imò nisi præcedat. Iudex enim, quia vitam moresq; alienos suo librat suffragio, suam suosq; ab omni culpâ & suspicione removebit, ne si alienum damnet crimen, accusari ipse possit. Alexander Severus, ut è Lampridio discimus in albo palam eorum nomina edebat, quibus gerendos magistratus erat demandaturus; ut omnibus liceret eorum vitia palam facere: directâ tamen in calumniatores pœnâ, quæ accusatos manebat, si verum esse crimen inveniretur. Quid? His etiam qui extra notam essent, vestes, argentea vasa, servi ac concu-

binæ datæ , ut his velut subsidiis instructi , in magistratu pro maiestate P. R. lautè viverent; ad rapinas aut adultèria nequaquam converterentur. Sic ille mores exigebat, ut Iudicem faceret. Iudex enim esse non potest, nisi qui vir bonus est; qui vitâ magis quàm sententiâ iudicat. Malus autem fictum duntaxat sustinet nomen , ac ludere velut in scenâ videtur. Qui improbus improbum punit, tollit hominem , sed crimen non auferit : peccat enim ipse quod punit; imò Iudicis gerit personam , munus verò non implet. Legislatorum hic precipuè in Legibus condendis finis fuit, hoc consilium; ut

plecte-

plecterentur scelera, non quia commissa essent, sed ne committerentur : quem finem, quodque consilium vertit & pervertit Iudex, qui malus est. Iudicio quidem tollit unum illum, qui peccavit; exemplo invitatur omnes, ut peccent. Hoc vivendo agit, ut semper sint quos puniat; hoc iudicando, ut severitas Iustitiæ crudelitatis infamiam incurrat. Verum aliud hinc video malum, à malo atque improbo proficisci: Injustus esse solet; punit, ubi parcendum est; parcat, ubi puniendum. Prorsus ut suo fauveat crimini, leve putat, si ab alio committatur; grave, quidquid ipse non committit. Hac perversitate fit, ut omnes con-



fundantur judicij formulæ, & præpoſterâ auctoritate robur ſcelera inveniant, virtutes contabefcant. Cùm enim tres omnino ejuſmodi formulæ ſint: ABSOLVO, CONDEMNNO, NON LIQUET, quæ brevitatis cauſâ ſolis etiam litteris exprimi ſolent; oſtendit ille etiam rudem ſe litterarum eſſe: non A, non C diſtinguit: peſſimusque N, L potiùs *Non libet* explicabit, quàm *Non Liquet*. Etenim non libet, etiam cùm liquet, improbo Iudici rectè pronun- ciare: pravo affectui, quàm Iuri mavult & æquitati ſatis- facere.

Pravus autem affectus his tribus precipuè cenſetur: Odio  
ſive

sive Irâ, Amicitia sive Misericordiâ, Corruptelâ sive Avaritiâ, vt sic quidem Iudicium, sive furoris, sive indulgentiæ, sive cupiditatis instrumentum sit. Sanè ubi odium est, nullum Iustitia locum habet: ubi amicitia, vigorem suum leges non obtinent; ubi corruptela, magis venditur sententia, quàm dicitur. Ira namque rationis lumen, sine quo cæcum omne Iudicium, turbat; misericordia offuscatur; corruptela tollit. Nemo imaginem suam, nisi in limpida reperit aqua. Limpidam move, confusam videbis speciem, & tanquam non videas: effunde, simul confusa perit atque evanescit. Ita se omninò ratio habet: si  
 lutulenta



lutulenta ac cænosa est, dare Iustitiæ imaginem non potest; si turbata, confundit; si effusa & projecta, dissipat. Sed si Iram examinamus, nonne mentem ac rationem velut lutulat atque inficit? si misericordiam, nonne movet? si corruptelam, nonne tollit & quasi extinguit?

Ante omnia igitur Iræ odijque affectus removendus est. Affectus verò vel affertur in Iudicium, vel in Iudicio, ut sic dicam, invenitur. Qui adfertur, pessimus est, cum sententiam publicam velut in vindictam privatæ injuriæ Iudex vertit; aut propterea faciliùs condemnat Reum, à quo vel famam suam, vel rem quomodo-

docun-



docunque læsam atque im-  
 munitam suspicatur. Sed affe-  
 ctus qui in Iudicio nascitur,  
 hæcenus excusari potest, si ad  
 terrorem valet, gravis peccan-  
 tibus, ut peccaturis velut fre-  
 num injiciat. Pulchrè Lactan-  
 tius lib. De Irâ Dei, *sine Irâ pec-  
 catum non corrigi*. Sic Iudex  
 non vitij tantum, sed vitiosis  
 irasci poterit, si rationis modò  
 statum non conturbet. Seve-  
 rus erit, non acerbus; rigidus,  
 non truculentus; irascetur, sed  
 nihil Iræ causâ faciet; terre-  
 bit, sed legis vultu, non suo;  
 castigabit, sed Iustitiæ ma-  
 nu, non suâ. Talem Mallium  
 Claudianus describit, & Iu-  
 dicis frontem pictis verbis  
 ostendit:

*Quin*

*Quin etiam fontes expulsâ cor-  
rigis ira,*

*Et placidus delicta domas: nec  
dentibus unquam*

*Instrepis horrendum, fremitu  
nec verbera poscis.*

*Qui fruitur pœna ferus est, le-  
gumque videtur*

*Vindictam præstare sibi, cum  
viscera felle*

*Canduerint; ardet stimulis, fer-  
turque nocendi*

*Prodigus, ignarus causæ. Dis  
proximus ille est,*

*Quem ratio, non ira, movet.*

Ratio autem Iustitiæ soror est,  
Ira inimica & hostis: ratio  
veritati concedit moram, ira  
eripit: ratio id judicari vult  
quod æquum est; Ira id æquum  
videri, quod judicavit. Iudex  
igitur,



igitur, quem Ira movet, non ratio, furore cœcus, impetu præceps, æquus videri studet, ut iniquus sit. quid etiam? sæpè infestus patrono, Reum damnat; infestus Actori, Reum absoluit. quod utrumq; quàm miserum sit, sola innocentia testari potest. Præterea in errorem prolapsus, veritati deinceps mavult gravis esse, quàm coargui, honestiorque in jam ceptis pertinacia, quàm pœnitentia est. Sic Piso, ut est apud Senecam, iratus militem duci jussit, quasi cõmilitonem sine quo ex com meatu redierat, interfecisset. Cùm jam præcidēda misero cervix esset, subitò apparuit ille, qui occisus dicebatur. Ergo reducitur cū magno  
 castro-



castrorum gaudio damnatus. Piso furens, conscendit tribunal, ac duci jam utrumque jubet. Quid videtur? adjecit & tertium. nam ipsum centurionem, qui damnatum reduxerat, simul interfici voluit. Quo jure? quâ causa? iratus erat. *Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es; te, quia damnationis causa commilitoni fuisti: te, quia jussus occidere, Imperatori non paruisti.* Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat; atque ita sævus videri maluit, quam in errore non perseverare. Lenior olim, imò justior Philippus Macedo: is errorem submitit justitiæ, quia rationi; & reprehendi sustinuit, cùm arreptâ

reptâ novâ causâ, punire potuisset. In laudem convertit hunc errorem; agnovit. Nam agente apud eum causam Machetâ milite, parum intentas aures habuit, & re non satis cognitâ, reum condemnavit. Hic verò innocentiam fretus, Macedonem se ostendit, & *Appello*, inquit. Philippus insolitam admiratus libertatis vocem. *Tu appellas?* ait, *à Rege ad quem?* Tum Machetas: *ad ipsum te*, inquit, *sed vigilantem, & attentum*. Profectò, excitatus Rex fuit, suam ipsius sententiam in judicium revocavit. Quomodo? quia iniquam fuisse deprehendit, ille paulo ante Iudex, jam velut Iudex & Reus, in pœnam ve-

B nit,



nit, litisq; æstimationem ipse à se dependit.

Secunda Iudiciorum remora benigniùs se insinuat. Nam Amicitia atque Misericordia est, humanitatis clementiæque velut velo vestita. Quid igitur est? De amico cùm sententiam Iudex proferet, Iudicem se ostendet: tantisper ignorabit Amicum, dum de Reo pronunciat. quippe Iudicij quàm beneficij, Iustitiæ quàm Amicitiae jura potiora sunt. ac sanè negligendus omnis ille nexus, qui legum auctoritatem violat: quemadmodum damnosus ille, qui cum damno æquitatis colitur. *Quippe, ut Cicero in Officijs, neque contra Remp. neque*  
*contra*



*contra Iusjurandum ac fidem, amici causâ, Vir bonus faciet, ne si Iudex quidem erit de ipso amico.*

*Ponit enim personam amici, cum induit Iudicis. Nam si omnia facienda sint, quæ amici velint, non amicitie tales, sed conjurationes erunt. Firmari quoque Iudicis debet animus, ne sordibus, lacrymis, miserisq; Reorum commoveatur, & à rectâ sententiâ recedat. Hinc apud Athenienses fuisse legem, Athenæus scribit, ne quis reum adspiciens judicaret. Cùm enim Hyperides pro Phryne Thespiâ meretrice, capitis damnatâ, peroraret, nec quicquam eloquentia machinis proficeret; pulcherrimæ mulieris vestem laceravit, pectusq; ostendit*

dit nudum : quo spectaculo animi Iudicum victi servare integritatis robur nequiverunt. Digna mitissimo calculo insignis forma habita: perire pulchram nemo voluit, cum amplius mulier, quam orator placuisset. Nec mirum : plus Veneris in pectore Phrynes, quam in oratione Hyperidis erat. Sed si hoc apud Lacedæmonios fuisset Iudicium, nihil pulchritudo potuisset. Hi namque, Plutarcho teste, in tenebris judicare soliti, ne quid esset quod rectum Iudicium impediret. Cæcus sit Iudex, & mero meridie etiam apud Spartanos judicare poterit; mero meridie tenebras inveniet. Imo surdus sit Iudex,

dex, & solam Iustitiam audiet. Tale in Cretâ Iovis fuisse simulacrum volunt, & quod aurito Mydæ possis apponere. Alexander verò Magnus hoc aurium dividebat ministeriû: alteram Actori, alteram Reo dabat, ut ex æquo favere utrique videretur, & Magni titulum Iustitia augetet.

Ad Avaritiam & corruptelam venio, quæ gravissima est, & pestis quædam Iudiciorum appellanda. Nam ut alia Iustitiæ impedimenta Iudex vincat, hic vincitur, & quia muneribus supponit manum, sententiam venalem facit. Sed ubique corruptela proclivis est, ubique magna pariter virtus, auro non abduci. Phocio-



nem mirari soleo. Hic centum ad se talēta ab Alexandro missa, ut bonus esset, repudiavit. Tantum munus cū offerrent legati, *Quid, inquit? cū tot tamque præstantes viri Athenis sint, cur hæc ad me?* Respondent legati: *Ad te potissimum, quem scit Alexander virum esse bonum.* Quid ille! Ergo, inquit, *sinat me esse bonum.* Plura dicere poterat, non pulchriora: facere maluit, nihil admisit. Et tamen virtuti hæc præmia dabat Alexander: majore virtute præmia Phocion reddidit. Dignus erat, qui Athenis adeoque in totâ Græciâ judicaret: etiam cū Iudex non esset, corrumpi non potuit. Dignus, qui acciperet munera, quæ

honoris

honoris tantum causam mittebantur. Sic verò cum pauper esset Phocion, plus ipse dedit sibi, quia nihil à Rege accepit. Contrà queri Alexander potuit, liberalitatē suam paupertate viri boni superatam. Quid mirum? modestia, integritas, innocentia, in Phocione opes erant. O exemplum in tribunalibus omnibus describendum! O responsum, usurpandum omnibus qui judicant! Quid ni verò dicam? Boni sunt Belgæ, auferte munera: boni sunt, tollite corruptelam: boni sunt, finite eos quot quot estis homines, esse bonos. Profectò ita est, redduntur mali, quorum non invitum gremium munera subeunt: &

munere flectitur, ad munus  
 qui se flectit. Verum enim verò  
 quid turpius, quid miserius,  
 quàm Iudicium in mercimo-  
 nium converti? Venalis sit æ-  
 quitas, emptores certè non  
 deerunt: vigeat corruptela,  
 nullæ Iustitiæ vires erunt.

*Quid faciant leges, ubi sola pe-  
 cunia regnat?*

*Aut ubi paupertas vincere  
 nulla potest?*

*Ipsi qui Cynicâ traducunt tem-  
 pora cœnâ,*

*Nonnunquam nummis ven-  
 dere verba solent.*

*Ergo Iudicium nihil est nisi pu-  
 blica merces,*

*Atque eques in causâ qui se-  
 det, emptâ probat.*

Sæpius alibi proscriptum hoc  
 malum,



malum, sed redijt; sæpius exci-  
sum, sed repullulavit; sæpius  
sublatum, sed revixit. Vt nostri  
sub optimis Principibus mo-  
res sunt, ut tempora compo-  
sita, Iudices habemus, qui bo-  
ni sunt & innocentissimâ se-  
veritate officium suum faci-  
unt; periti, & sic justî; publicâ  
auctoritate constituti, & sic  
periti. Quare si quæ pœnæ  
sunt, aut olim fuere, ad alia  
regna, ad alia referantur tem-  
pora: nostra hæc aut incor-  
rupta, aut incorruptis proxi-  
ma. Darius Sandacem Æoli-  
dis præfectum, quia pecuniâ  
corruptum, cruci affigat; in  
nostris Iudicijs nihil venale  
est. Iudicibus suis Artaxerxes  
pellem detrahat; in nostris Iu-

dicijs ex æquo omnia statuun-  
 tur. Leges XII. tabularum Iu-  
 dicem arbitrumve jure datum,  
 si ob rem dicendam pecuniam  
 accepisse convictus sit, capi-  
 te puniant; in nostris tribu-  
 nalibus suam leges vigorem  
 servant. Hic, quod in Aegy-  
 pto perijt, adhuc exstare Si-  
 nandi Regis sepulchrum vi-  
 detur, in quo xxx. sculpti fede-  
 bant Iudices, sed sine mani-  
 bus: in medio Princeps Judi-  
 cij, cujus à collo imago verita-  
 tis depēdebat, ipse oculis clau-  
 sis librorum cumulo circum-  
 datus. Quid videtur? & nostri  
 sine manibus Iudices sunt; mu-  
 nera non accipiunt. Noster ille  
 Princeps, & qui sub Principe  
 Iudicijs præfunt, solam veri-  
 tatem

tatem respiciunt, peritiâ, prudentiâ, doctrinâ instructi. Munere digni, quod sustinent; honore, quo ornati sunt, ut omnia dicam, ad imaginem Iustitiæ se componunt, cuius os, vultumq; Chrysippus olim, severis atque venerandis verborum coloribus depinxit. *Forma, atque filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cuiusdam tristitiæ dignitate.* Ex imaginis autem illius significatione (ut cum A. Gellio dicam) intelligi Chrysippus voluit, *Iudicem, qui Iustitiæ Antistes est, oportere esse grauem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocentesque immisericordem*



*ricordem atque inexorabilem, erectumque, & arduum, ac potentem, vi & maiestate equitatis, veritatisque terrificum. Quæ Omnia, ut compendio stringantur, Iudicem dicam oportere esse Virum bonum. Dico, imò Dixi.*

A. GEL-

# A. GELLIVS

## LIB. XIV. CAP. II.

**O**MNIVM primùm hoc De Iudicis Officio quæritur, *Si Iudex fortè id sciat, super quâ re apud eum litigatur, eaq̃ res uni ei, priusquam agi cœpta, aut in iudicium deducta sit, ex alio quodam negotio, casuq̃ aliquo cognita liquido & comperta sit, neque id tamen in agendâ causâ probatur; oporteatne eum secundum ea quæ scivit iudicare, an secundum ea quæ aguntur?* Id etiam quæri solet, *An deceat atque conveniat Iudici, causâ jam cognitâ, si facultas esse videatur componendi negotij, Officio paullisper Iudicis dilato, communis amici, & quasi pacificatoris partes suscipere?* Atque illud amplius ambigi ac dubitari scio, *Debeatne Iudex inter cognoscendum, ea, quæ dictio quæstioque opus est, dicere & querere, etiamsi, cujus ea dici quæriq̃ interest, neque dicat neque postulet?*

postulet? Patrocinari enim hoc esse  
ajunt non judicare. Præter hæc,  
super ea quoque re dissentitur,  
An ex usu exq̄ Officio sit Iudicis, rem  
causamq̄, de quâ cognoscit, interlo-  
cutionibus suis ita exprimere consi-  
gnareque, ut ante sententia tempus,  
ex his, quæ in præsens confuse variè-  
que dicuntur, proinde ut quoquo in lo-  
co ac tempore movetur, signa & judi-  
cia faciat motus atque sensus sui?  
Nam qui Iudices acres atque celebres  
videntur, non aliter existimant rem,  
quâ de agitur, indagari comprehendî-  
que posse, nisi qui Iudicat crebris in-  
terrogationibus necessarijque interlo-  
cutionibus & suos sensus aperiat, &  
litigantium deprehendat. Contrà au-  
tem, qui sedatiores & graviores pu-  
tantur, negant Iudicem debere ante  
sententiam, dum causa utrimque agi-  
tatur, quoties aliquâ re propositâ mo-  
tus est, toties significare quid sentiat.  
Eventurum enim ajunt, ut, quia pro  
varietate propositionum argumeto-  
rumque alius atque alius motus animi  
patiendus est, aliter atque aliter eâdem



*in causâ eodémque in tempore sentirè  
& interloqui videatur.*

I B I D E M.

**I**TA esse à majoribus memoriæ  
traditum observatumq; ait Ca-  
to, *Vt, si, quod inter duos actum est,  
neque tabulis neque testibus planum  
fieri possit, tum apud Iudicem, qui de  
eâ re cognosceret, VTER EX IIS  
VIR MELIOR ESSET, qua-  
reretur. &, si pares essent, seu boni  
pariter, seu mali; tum illi unde petitur,  
crederetur, ac secundum eum judica-  
retur.*

F I N I S.

*Ely. 209*

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY


1 1 1 1 1


THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

1 1 1 1 1









EG

B.
2
E.